



## **Heroicarvm Et Ecclesiasticarvm Quaestionvm Libri VI.**

Sex libris prioribus universa Regalium, Iurisdictionis Ecclesiasticorum  
Temporalis Et Constantinianae Donationis ratio discuritur ... contra  
profanas & vanas cuiusdam Bodini novitates

De Satvrnino Permvttationis Beneficialis (Etiam Triangvlaris) - iure  
Commentarius ad omnes Pontificum Constitutiones hûc pertinentes;  
contra sceleratas & impias Ecclesasticorum beneficiorum mundinationes &  
heriditarias quasi successiones

**Epo, Boetius**

**Duaci, M.D.LXXXIIX.**

329 Respondetur argumentis in contrarium præcipuis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61721](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61721)

tamen rem illam semel datam nequeat ab emptore illo recuperare. Quod argumentū præter alia multa fortiter contra superiorem sententiam premit & meritò premit Egidius de bellamere in suo tractatu de permutatione beneficiorum part. 11. quæst. 3. Cur igitur à tertio beneficium recuperatur in c. cum vniuersorū. de rer. permut. ? Quia vel fraudis fuerat ibi particeps ille tertius, vel in subsidium præualet æquitas in beneficiis à quocunq; de tentore recuperandis. c. proposuit. de concess. præbend. Nec obstat huic sententiæ d. cap. si beneficia. de præbend. in 6. quia præter dimissionem beneficij simplicem sine resignatione prorsus vlla, simul interuenit illic error facti (nempe reservationis Pontificiæ) quem constat non debere cuiquam nocere. l. error facti. 7. de iur. & fact. ignor. Quòd autem sine collatione prorsus vlla subinde beneficium senioribus obueniatur per optionem solam, d. c. vlt. de consuet. in 6. sola consuetudinis (quæ lex est non scripta) facit vis & auctoritas; ideoque nec à permutantibus in consequentiam trahi debet. Attamen vt vt sit, vel vtrambet in hac quæstione sententiam sequi quis maluerit, intelligendum necessariò cuiuslibet est, non semper nec indifferenter ad beneficium suum rediri posse si non impleatur ipsi permutatio, sed limitibus quibusdam certis hanc redeundi facultatem regi seu coërceri. Sanè si tantum temporis à permutatione præterierit sine querelis vel interpellationibus quan-

328  
*Cur contra  
tertium pos-  
sit agi in cap.  
cum vniuer-  
sorū.*

329  
*Respondetur  
arg. in con-  
trarium præ-  
cipuis.*

330  
*Limita-  
tiones quibus  
fit vt ad be-  
neficia præ-  
stata rediri  
nequeat.*